

Beihheft

2

S M/12

1269 Mai 6 Wolsbeck bezw. Schonefliet.

[41]

Bischof Gerhard von Münster betr. den Hof Brunink, Bisch. Bedemerwick,
Æsp. Osterwick.

Gerardus, Dei gratia ecclesiae Monasteriensis episcopus, omnibus praesens
 scriptum visuris notum esse cupimus, quod Thidericus dictus de Schonebecke
 miles et Hermannus, Thidericus, Ludolphus, Ludowicus et Conradus filii
 sui constituti in nostra praesentia Woltbeke in caminata anno Domini
 M^{CCCLX} nono, II Nonas Maii, ibidem tunc praesentibus nobili viro domino
 Henrico de Stherenberg, Wescelo de Lembeke, Alberto Dapifero, Everhardo
 de Lon, Joanne de Dorvelde, Engelberto de Billerbeke et Siberto Norendin
 militibus, item Macario in Billerbecke et Werner in Luhnen officialibus et
 pluribus aliis, publice professi sunt, se praedium, quod ipsum fuerat, dictum
 Bruninck situm Bedemerwick juxta curtem dictam Dodeking in parochia
 Osterwick, cum universis et singulis eius attinentiis et juribus, sicut vulgus
 dicit an torve ande an twighe, de omnium ipsum et aliorum cohaeredum
 suorum expresso consensu religiosis viris praeposito et conventui monasterii
 in Varlare venditione legali iure proprietatis vendidisse et integraliter re-
 cepisse pecuniam sibi inde promissam, libere et absolute in nostris manibus
 ad manus eiusdem monasteri supra dicta resignantes et abrenunciantes plane
 et simpliciter omni iuri, quod eis competit vel quoquomodo posset com-
 petere in praemissis, dataque fuit ibidem coram nobis talis sententia et
 ab omnibus approbata praesentibus, quod huiusmodi resignatio et abrenun-
 ciatio factae coram nobis solemniter non erunt praefato monasterio minus
 valide, quam si eadem facta fuissent in figura talis judicii, quod vulgariter
 vriethinc dicitur, cum solemnitatibus, quae ibi fieri circa talia consueverunt.
 Promiserunt nihilominus ibidem in nostra praesentia supradicti pater et filii,
 quod cohaeredes suos tunc ibi absentes, videlicet Heilewigim, Th[eoderici]
 militis praefati uxorem, item Franconem filium neon et Mächtildim,
 Aleidim et Heilewigim filias eorundem procurarent dictae venditioni, quae
 initia fuit Haveksbeke, medianibus Ludolpho et Ludowico fratribus dictis

Hakene et Engelberto de Bissenthorpe militibus, consentire expresse et sole-
 niter dictum resignare praedium ac absolute ad manus monasterii antedicti
 abrenunciare modo praemitto eidem coram nobis vel vicem nostram in hac
 parte gerentibus, quod statim postmodum apud castellum dictum Sconenvlete
 anno predicto II Idus Maii consumatum extitit juxta praefatorum pro-
 missum. Ne igitur supradicta rite gesta modo predicto possit cuiusquam
 in posterum violare calumnia, praesens scriptum nostro, ecclesiae nostrae et
 Th[eoderici] militis praefati sigillis munitum existit in evidens testimonium
 praemissorum. Acta sunt haec anno et mense predictis.

42